Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Ecloga. IIII. Eros. Lycidas. Mopsvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco.
Concauat ille manus, palmasq; in pocula uertit.
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Muſta labris, alius uocalia cymbia mergit.
Excipit ac potus, ſaliens liquor ore reſultat.
Atq; alius latices preſſus reſupinus ab uuis,
Spumeus inq; humeros, & pectora difluit humor.
Omnia ludus habet cantusq; chorosq; licentes,
Et Venerem iam uina mouent, raptantur amantes.
Concubitu Satyri fugientes iungere nymphas.
Iam iamq; elapſas, hic crine, hic ueſte retentat.
Tum primum roſeo Silenus cymbia muſto
Plena ſenex, auide non æquis uiribus hauſit.
Ex illo uenas inflatus nectare dulci,
Heſternoq; grauis ſemper ridetur hyaccho.
Quin etiam deus ille, deus Ioue proſatus ipſo,
Et plantis uuas premit, & de uitibus haſtas
Ingerit, & lynci præbet crathera bibenti.
Hæc Pan mœnalia pueros in ualle docebat. Poe.
Sparſas donec oues campo, conducere in unum
Nox iubet, uberius ſuadens ſiccare fluorem
Lactis, & in niueas aſtrictum cogere glebas.

ECLOGA. IIII. EROS. LYCIDAS. MOPSVS.

P Opulea Lycidas, nec non & Mopſus in umbra
Paſtores, calamis, ac uerſu doctus uterq;,
Nec triuiale ſonans proprios cantabat amores.
Nam Mopſo Meroe, Lycidæ crinitus Iolas

Ignis erat, parilis'q; furor de diſpare ſexu
Cogebat trepidos totis diſcurrere ſiluis.
Hos puer, ac Meroe multum luſere furentis.
Dum modo condictas uitant in uallibus ulmos,
Nunc fagos placidas fugiunt, promiſſa'q; fallunt
Antra, nec eſt animus ſolitos alludere fontis.
Tum tandem feſſi quos luſus adederat ignis,
Sic ſua deſertis nudarunt uulnera ſiluis.
Inq; uicem dulcis cantu dixere querellas.
Immitis Meroe, rapidis'q; fugacior Euris, Mo.
Cur noſtros calamos, cur paſtor alia uitas
Carmina? quem'ue fugis? quæ me tibi gloria uicto?
Quid uultum ueniens premis? ac ſpem fronte ſerenas?
Tandem dura negas? poſſum non uelle negantem.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Reſpice me tandem puer o' crudelis Iola. Ly.
Non hoc ſemper eris, perdunt & gramina flores,
Perdit ſpina roſas, nec ſemper lilia candent.
Nec longum tenet uua comas, nec populus umbras.
Donum forma breue eſt, nec ſe tibi commodat annus.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Cerua marem ſequitur, taurum formoſa iuuenca, Mo.
Et Venerem ſenſere lupæ, ſenſere leænæ.
Et genus aëreum uolucres, & ſquamea turba.
Et montes, ſiluæ'q; ſuos, habet arbor amores,
Tu tamen una fugis, miſerum tu perdis amantem.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Omnia tempus alit, tempus rapit, uſus in arcto eſt. Ly.
Ver erat, & uitulos uidi ſub matribus iſtos.
Qui nunc pro niuea coiere in cornua uacca.

Et tibi iam tumidæ nares, iam fortia colla,
Iam tibi bis denis numerantur meſſibus anni.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Huc Meroe formoſa ueni, uocat æſtus in umbram. Mo.
Iam pecudes ſubiere nemus, nam nulla canoro
Gutture cantat auis, torto non ſquamea tractu
Signat humum ſerpens, ſolus cano, me ſonat omnis
Silua, nec æſtiuis cantu concedo cicadis.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Tu quoq; ſæue puer niueum ne perde colorem Ly.
Sole ſub hoc, ſolet hic lucentes urere malas.
Hic age, pampinea mecum requieſce ſub umbra.
Hic tibi lene fluens fons murmurat, hic & ab ulmis
Purpureæ fœtis dependent uitibus uuæ.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Qui tulerit Meroes faſtidia longa ſuperbæ, Mo.
Sithonias feret ille niues, libycosq; calores.
Nerines potabit aquas, taxi'que nocentis
Non metuet ſuccos, Sardorum gramina uincet,
Et ſua marmaricos coget iuga ferre leones.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Quiſquis amat pueros ferro præcordia duret. Ly.
Nil properet, diſcatq; diu patienter amare,
Prudentes'q; animos teneris non ſpernat in annis.
Perferat & faſtus, ſic olim gaudia ſumet.
Si modo ſollicitos aliquis deus audit amantes.
Cantet, amat quod quiſq;, leuant & carmina curas.
Quid prodeſt quod me pagani mater Amyntæ, Mo.
Ter uictis, ter fronde ſacra, ter thure uaporo
Luſtrauit, cineres'q; auerſa effudit in amnem.

Incendens uiuo crepitanteis ſulphure lauros.
Cum ſic in Meroem totis miſer ignibus arſi.
Cantet amat quod quisq;, leuant & carmina curas.
LY. Hæc eadem nobis quæ uerſicoloria fila.
Et mille ignotas Michale circuntulit herbas.
Cantauit quod luna timet quo rumpitur anguis
Qui currunt Scopuli, migrant ſata, uellitur arbos.
Plus tamen ecce meus, plus eſt formoſus Iolas
Cantat, amat quod quiſq;, leuant & carmin curas.

FINIS